

Ya
2056

R. 74, 29.

2, 48.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT



DE ORIGINE
VRBIS DRESDAE

EIVSQVE,
SVCESSV TEMPORIS, INCREMENTO.

DISSERTATIVNCVLA

SPECIMINIS LOCO

DIE XIV. MENS. APRILIS MDCCXCIV

PROPOSITA

A

CHRISTOPHORO CHRISTIANO
HOHLFELDT.



DRESDAE,
BIBLIOTHECAE HARPETERIANIS.


DE ORIGINE
VRBIS DRESDAE

SVCESSA TEMPORIS INCREMENTO

DISSERTATIONE

SPICIMIS LOCO

DIE XIV MENSIS



CHRISTOPH



DRESDAE



VIRIS

PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, IVRE
CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS,

REIPUBLICAE DRESDENSIS

CONSVLIBVS, SYNDICO,
PRAETORIBVS

CAETERISQUE ORDINI SENATORIO

ADSCRIPTIS

PATRONIS ET FAVORIBVS

DEMISSE VENERANDIS

D. D. D.

A V C T O R .

A 2

VIRIS

PRÆMOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, IURE
CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS

REPUBLICÆ SÆPENSIS

CONSULIBVS, SYNDICO,
PRAETORIBVS

GÆTHERISQVE ORDINI SENATORIO

ADSCITIS

PATRONIS ET FAVORIBVS

CECILIE KNECHTIN

P. R. D.

A. V. G. O. R.

42



V I R I
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI, IVRE
CONSVLTISSIMI,
PATRES REIPVBLICAE DRESDENSIS
GRAVISSIMI,
PATRONI AC FAVTORES
OMNI, QVA PAR EST, PIETATE COLENDI.

MAGNA VESTRA NOMINA, PATRES, huic libello, nulla virtute praedito, praefigere, non audaciae, sed gratum potius, quem in Vos sentio, animum declarandi studio, tribuatis. Quem quidem grati animi sensum, pectore inclusum, Lipsiam mecum iam duxeram, occasione, publice VOBIS illum ostendendi, destitutus; quare inquietus et moestus, debiti haud persoluti memor, literis academicis operam dare coepi. Sed morbo, quo grauiter decubui, subito oppressus, Dresdam redire, et, in alma vrbe patria, melius valetudinem curare coactus sum. Summi hoc Numinis agnosco beneficium, inde enim huic officio, mihi gratissimo, satisfaciendi nata est occasio.

Pluribus nimirum ex annis de me, PATRES, bene merito estis, patri meo carissimo insignem beneuolentiam exhibentes, ita, vt mirum non sit, si filius, grati in Vos animi sensui a tenerrimis assuefactus, publice hoc profiteri gestit. Sed ignoscatis tironi, artis scribendi imperito, si verba, quae profert, neque iis, quae ab homine grato expectare iure meritoque possitis, neque iis, quae ipse sentit, satis respondent, hasque paginulas, sola erga Vos pietate commendabiles, beneuola mente accipiatis.


Summum Numen imploro, vt Vos omnes ac singulos, cum Vxoribus Vestris deuenerandis, liberisque carissimis, saluos et incolumes, vniuersae ciuitatis gaudio, conferuet.

Eodem, quo hactenus patrem dignati estis, fauore vt et filium complectamini, etiam atque etiam, omni, qua decet, obseruantia atque reuerentia a VOBIS peto, quo quidem indies digniorem me reddere studebo, vt

TANTORVM NOMINVM

cultor obseruantissimus et
obedientissimus

Christophorus Christianus Hohlfeldt.



CONSPECTVS.

INSTITVTI RATIO.

- A.) De populis, qui antiquissimis temporibus
- a.) in Germania,
 - b.) in Saxonia,
 - c.) ad flumen Albim, confederunt.
- B.) De origine vrbs ipsius, et de variis, qui eius conditores fuerint, opinionibus.
- a.) de nomine eius,
 - b.) de situ, et fluuiis, ad Dresdam fluentibus.
- 1.) Vbi primae domus, vel plateae, exstructae fuerint, cum platearum origine et notitia nominum earum incognitorum.
 - 2.) Quam Religionem primi eius incolae habuerint.
 - 3.) de templis et scholis.
 - a.) de templis
 - α.) in vrbe ipsa, Neostadii, et Fridericostadii,
 - β.) in suburbis.

4.) de

b.) de aediculis vel facellis aliis

α.) successu temporis destructis,

β.) adhuc exstantibus.

c.) de scholis.

4.) de portis.

5.) de alia huius urbis amplificatione et exornatione.

6.) de variis, quas haec urbs, successu temporis, passa est calamitatibus et aerumnis, quae incrementum eius quodammodo inhibuerunt.

7.) de flore, quo nunc FRIDERICI AVGVSTI, P. P. optimi, auspicii gaudet.

INSTI.



INSTITVTI RATIO.

Sua cu'que ratio scribendi et recitandi, Plinius iunior, suo iam tempore, dicit; alia vero prorsus ei, qui lucubrationum primitias edit, easque non amicis solum, verum etiam FAUTORIBUS ac PATRONIS, omnium literarum generibus peritissimis, legendas aequae ac perlustrandas tradit. Trepido sane ac timido animo rem aggredior, ideoque scribendi ratio, praeterquam quod primitiarum vestigia vbique impressa deprehendantur, sibi constare non potest. Si quis autem forte subrideret, quod ego, vt tiro, ex multis illis rebus, quas vberimus literarum campus cuique scripturo facile suppeditat, rem tam difficilem, et humeris meis tam impari elegerim, ei nihil sane respondere possem, quam hoc, quod Historiam patriae, et huius potissimum vrbs, pluribus ex annis inter cupedia collocauerim, et hancce disertatiunculam vt fundamentum quasi considerari velim, cui, si fautores et amici illud emendandi copiam mihi fecerint, plura, non edendi, sed me delectandi causa, in horis subseciuis superstruere cupio.

B

A.) DE

A.) DE POPVLIS, QVI ANTIQVISSIMIS
TEMPORIBVS

a.) in Germania confederunt.

Historia originis incolarum cuiusque regni eo maiori incertitudinis caligine obducta est, quo serius ipse ille populus literarum, non dicam, lumine, sed tantum radiorum luce repercussa, collustratus est. Et quis, quaeso, populus, cuius historia extat, diutius ignorantiae tenebris oppressus iacuit, quam Germani, ita, vt antiquissima eorum, qua gaudemus, historia non ab indigenis, sed a Romanis Scriptoribus, quibus bellorum commercio innotuerunt, originem ducat, a *Tacito* nimirum inprimis, et passim a *Julio Caesare*, quos, vtpote notissimos, nominasse sufficit.

Tacitus, celeberrimus ille Germaniae percrutator, *Germanos indigenas credit*, 1.) *minimequē aliarum gentium aduentibus mixtos*. 2.) *Causam huius coniecturae mox addit, verbis sequentibus, quibus Germaniam informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspēctūque esse censet; cui nemo repugnabit, qui veterem Germaniam cum Italia confert. Item Seneca, in libro de Prouidentia Dei, Perpetua, inquit, illos hiems, triste coelum premit, &c. Sic et Symmachus Consul, Ausonium poētā, Mosellae regiones collaudantem, nauiter reprehendit. Taciti opinione Tuisio Germanorum conditor est. Scythas nostrates esse, in eo multi consentiunt, eosdemque Alexandri magni tempore Germaniae possessores fuisse, variis auctorum, quos vocant, Classicorum veterum testimoniis probant, Curtius legatorum huius populi orationem, satis atrocem, coram Alexandro rege habitam, nobis reliquit. 3.) Qua luculenter apparet, eos magnam et fortem gentem fuisse, quod et Iustinus probat. 4.) Et maiores nostros*

1.) Quomodo hoc intelligendum sit, optime docetur in Iohann Gottfried Boehmens Vorlesungen über die deutsche Reichsgeschichte, nempe non, qui e solo prognati sint, sed in solo.

2.) Tacit. de reb. Germ. Cap. II.

3.) Curtius, L. VII. cap. 8.

4.) Iustinus, L. II. cap. 1.

frōs, priusquam Graecis et Latinis scriptoribus innotuerunt, inter *Scythas* delituisse, satis perspicue *Plinius* demonstrat 5.), *Scytharum*, inquit, nomen usquequaque transit in *Sermatas* atque *Germanos*, nec alius prisca duravit illa appellatio, quam, qui extremi harum gentium, ignotique prope caeteris mortalibus, degunt. Iam *Herodotus* Germanorum, sub *Celtarum* nomine, quo vero omnes nationes incognitae originis significabantur, mentionem fecit. Germaniae autem etymon, multa inter eruditos fata passum est 6.), quae quidem omnia enumerare valde alienum esset. *Wolfgang Lazius*, a rebus ab ipsis gestis ita esse vocatos, haud temere suadet. Nam e. g. *Quadi*, minor Germanorum natio, nomen ducere dicuntur a saevitia, et sic porro. Naturae autem verbi convenientissimam derivationem clarissimus *Boehme* in praelectionibus suis protulit, qui nomen de *Quar*, *Guerre*, bellum, descendere affirmat. Caeterum maiores nostri in confiniis *Asiae* et *Europae*, *Herodoto* teste, habitauerunt, et deinde Graeciae colonias immiserunt. 7.) Alii falso crediderunt, nos ab initio *Aegyptios* fuisse, a *Tacito* seducti, qui dicit: 8.) *Herculem* ac *Martem* concessis animalibus placant, pars *Sueuorum* et *Isidi* sacrificat. Sed hoc quoque fieri potuit, quanquam maiores nostri ab *Aegyptiis* remotissimi fuerint, praesertim cum maxima eorum pars migrationes tantopere amaret, ut saepissime alias regiones peteret, suasque relinqueret. (Constat quoque, illos feminas vaticinantes, praeclaros duces, et alios, quos magni inprimis fecerunt, diuino cultu profecutos esse. 9.) Adiciamus et eos, qui *Gothos* aut *Getas*, sicut *Strabo* eos nominat, germani nominis instauratores dicunt, quod linguarum similitudine probant. 10.) Unde vero orti sint, et quomodo hanc terram coluerint, profus ignoratur. Neminem fugit, eos fata et annales na-

B 2

tionis

- 5.) *Histor. Natural.* libr. IV. cap. 12.
 6.) *Select. Antiquitat.* libr. VII. ibidem variis locis.
 7.) *Eccard de orig. Germanorum.*
 8.) *Tacit.* cap. IX. 2.

- 9.) *D. Rössigs Alterthümer der Teutschen*, pag. 22. §. 9.
 10.) *Select. Antiquitat.* pag. 326. vbi dicitur: Gothica lingua, maxima parte dialectus est germanica.

tionis suae carminibus exposuisse, quae quisque paterfamilias liberis suis ore tradidit. *Carolus Magnus* ea quidem sedulo collegit, sed hoc successu temporis intermissum, et aeternae obliuioni traditum est. Fines autem regionum illarum a veteribus scriptoribus inter *Rhenum*, *mare septentrionale*, et *mare Balticum* ponuntur, quam quidem regionem *Germaniam*, eiusque incolas *Germanos*, nominarunt. 11.) Galli vero, timore germanae fortitudinis perterriti, mox omnes eorum populares hoc nomine denotarunt. 12.) Magnam vero et vetustissimam esse nationem illam, quam nos quoque Germanorum nomine complectimur, eamque variis populis diuersis nominibus constituisse, et denique certis regionibus finibusque constitutis habitasse, nemo nescit. Vulgo enim diuidi solet in *Germaniam cisrhenanam*, et *transrhenanam*, quam rursus in *Germaniam superiorem*, et *inferiorem* secant. Paulo serius, in *primam* et *secundam* diuidebatur. *Tribocci* cisrhenanam possederunt, *Vagiones* in regionibus hodiernae *Wormatiae* habitarunt. Iis *Ubii*, regionem *Coloniae* incolentes, successerunt, vnde haud dubie *Colonia* Augustae Ubiorum nomen traxit. *Tungri*, Tacito teste 13.), primum Rhenum transgressi, Gallos expulerunt, qui deinde in *Leodico pago* versabantur, quorum vicini *Eburones* erant. *Bataui*, *Celtarum* proles, a Tacito iam, ob eximiam virtutem, collaudati 14.), *Geldriam*, vt hodie vocatur, incoluerunt. Ingens eorum multitudo adeo *Ultraiectum* et *Hollandiam australem* inundauit. Regiones autem, Rhenum adiacentes, a *Marcomannis*, vulgo *Markmaenner* vocatis, impletae. *Hassiam Catti* praecipue coluerunt. 15.) *Cherusci*, *Arminii* illius notissimi populares, olim indigenae, postea, a *Cattis* superati, 16.) in ripa *Visurgis* vixerunt, et nostra memoria *Mansfeldorum* nomine innotuerunt. Hos *Chauci* sequuntur, quorum mores

Tacitus

- 11.) Schmidts Geschichte der Teutschen, 1. Theil, pag. 2.
 12.) Tacit. cap. II.
 13.) cap. II.

- 14.) cap. XXIX.
 15.) cap. XXX. vbi de iis praecipue agitur.
 16.) cap. XXXVI.

Tacitus magnis laudibus extollit, 17.) et qui a *Diuo Caesare*, *Velleio Paterculo* teste, subacti sunt. 18.) *Cimbri* hodiernam *Cimbriam*, aut *Jütland*, occuparunt, pauci quidem numero, sed gloriae ingentis, 19.) ita, ut multa cum Romanis bella gesserint. Ab illis *Ducatus Holsatiae* *Cherfonesi* *Cimbricae* nomen accepit. Qui quidem populus, imperio Romano fere interitum minabatur, cum, incognita causa armati, novas sedes quaerent, unde proverbialiter a Romanis dicebatur: *cimbricus terror*, *cimbrica praeda*, et *ululatus cimbricus*. Iuxta eos *Teutones* confederunt, 20.) His quidem et Cimbricis Romani *Silvanum Manlium* et *Caeponem* opposuerunt; sed actum fuisset de republica, nisi *Marius* illi saeculo contigisset. 21.) Hic quoque populus regiones, quas nos sub *Saxoniae* nomine complectimur, impleuit; turbae enim illae domicilia nova quaesiverunt. 22.)

b.) Saxoniam quasi inundarunt, et veteres terrae huius incolas aut propulerunt, aut foedus cum iis pepigerunt.

Alia harum barbarum *Sueuorum*, alia *Francorum*, alia denique *Saxonum* nomine innotuit. *Sueui* autem, primum inter eas potestatis gradum obtinentes, 23.) postea *Italiam*, *Franci Galliam*, *Saxones* vero regiones *Rheni* et *Albis*, petierunt. 24.) *Tacitus*, *Plinius*, *Mela* et alii scriptores, hos populos plane ignorasse videntur, nisi forsitan eos aliis maioribus nationibus insertos comprehenderit. *Ptolemaeus* vero, veterum primus rerum Geographicarum scriptor, eorum mentionem fecit. 25.)

De nominis Saxonum derivatione docti diuersimode sentiunt. Alii hoc nomen a veteribus *Sacis*, alii ab armis eorum, et praesertim a pu-

B 3

gione,

17.) cap. XXXV. 1.

18.) *Velleius Paterc.* lib. II. cap. CVI.

19.) *Tacit.* cap. 37.

20.) *Iul. Caesar.* libr. I. cap. 33.

21.) *Florus* libr. III. cap. 3.

22.) *Francisci Irenici Exegetis* historiae Germaniae.

23.) *Iul. Caesar*, libr. IV. cap. 1.

24.) *Allgem. Weltgesch. nach Baumgart.* Uebersetzung, Tom. 17. p. 170.

25.) *Geograph.* libr. II, cap. 2.

gione *Sax*, quem manu tenuerunt, 26.) plurimi tamen a *See* et *Ash* (populus) descendere dixerunt, nomenque illud populum, in mari accolam, significare voluerunt. Multi quoque eos a *Satis* nomen accepisse dixerunt, quod et mihi convenientissimum videtur; scimus enim, *Holsatiae* incolas eandem ob causam ita esse appellatos. 27.) Cum vero Saxones adhuc *Cimbriis* adscripti, et cum iis coniuncti, essent, piraticam fecerunt, variasque excursions in *Galliam* et *Britanniam*, praedae causa, susceperunt, ita, ut adeo *Angliae* Saxonum nomen intulerint, cum Angli antea foedus cum iis iniissent. *Thuringiam* quoque Saxones partim, partim Franci perturbarunt, qui olim cum Saxonibus coniuncti erant, sed temporum successu ab iis ipsis, ut *Ammianus Marcellinus* docet, invadebantur. *Werinorum* ager, et pars *Thuringiae*, paulo post irruptionem Saxonum, et *Longobardorum* migrationem in *Italiam*, in deditioem venit, ut progressu temporis *Slavi*, *Sorabi*, et ante eos *Hermuduri*, aut *Hermunduril*. 28.) *Cherufci*, et multi alii populi, partim sponte ad eos transfressi, partim vi coacti, et, Saxonibus commixti, eorumque nomine appellati, extinguebantur. 29.) Sunt, qui credant, *Tubantes*, *Dantudes* et *Calober* his regionibus confedisse, 30.) sed historia, ut puto, hanc rem silentio praeterit; cum e contra luculenter e veterum scriptorum testimonio probari possit, *Hermunduros*, et, post eorum interitum, *Sorabos* ibidem delituisse, qui, ut *Ptolemaeus* affirmat, 31.) magno tempore interiecto ad flumen *Rha*, et ad montes *Ceraunos*, habitarunt, deinde *Seruiam* petierunt, denique vero in *Bohemiam* et nostras regiones diffusi sunt. *Myfios*, *Weekio teste*, ibidem confedisse, nullo pacto probari

26.) *Gotfriedus Viterbiensis*, parte XV. hoc affirmat, verbis sequentibus:

„Ipse brevis gladius, apud ipsos Saxa vocatur,

„Vnde sibi nomen Saxo peperisse notatur.“

27.) *Glassey* in seiner Einleitung zur sächsischen Geschichte.

28.) vid. *Böhmens Vorles. über die sächs. Geschichte*, nach Anleitung *Ioann Paul Reinhard*. MS. §. 2.

29.) *Miscell. Berol.* in dissertatione, de originibus gentium.

30.) v. *Böhmens Vorles.* vbi huic opinioni contradicitur.

31.) *Geograph.* V. 9.

probari potest, quoniam eiusmodi natio nunquam ad has sedes penetrauit. 32.) Sed de interiore huius terrae statu, antequam in Saxonum potestatem venerit, nemo, ut putō, certi quid dicere poterit, cum eius incolae, ob istius temporis barbariem, artis scribendi expertes, eadem nocte, qua tota reliqua Germania, tegerentur, de qua *Albinus* cecinit:

„Prisca parans Fastos Germania, cum tot haberet
„Res et gesta, librum clausit, et — obtulit.“

Venimus iam ad regiones

c.) Albim fluvium circumdantes.

Vetustissimi earum incolae Hermunduri et Chauci fuerunt, quos *Ptolemaeus* ad Albim collocat, 33.) dicens: Μετὰ τέτρες Καῦχοι οἱ μικροί, μέχρι τῆ Ὀυσιέγγιος ποταμῆ, ἔϊτα Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τῆ Ἄλβιος ποταμῆ. Tacitus quoque Albim ab Hermunduris circumdari scripsit. 34.) *Strabo* eodem loco eos vixisse suadet, his verbis: Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σαήνων ἔθνος, διήκει γὰρ ἀπὸ τῆ Ῥήνυς, μέχρι τῆ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ οἱ Ἑρμύνδοροι καὶ Λαγκάβαρδοι. 35.) Longo tractu a Danubio ad Salae vsque confluentem, ex parte quoque ultra Albim, habitasse videntur, cui opinioni Tacitus in Annalibus fauere patet. 36.) *Velleius Paterculus* eos ad flumen Albim confedissee nauiter affirmat. 37.) Partem eorum aliquo tempore in *Silesia* habitasse, Tacitus in Annalibus docet. Omnis tamen eorum ciuitas Romano imperio fida fuit, quum etiam commercium et negotia vicissim habuerint. 38.) Sorabis autem has terras petentibus, Hermundurorum nomen euanuit. Hi enim Sorabi inter omnes Slavorum nationes primi erant, qui vsque ad Germaniam, atque

32.) Hafsche ausführliche Beschreibung Dresdens, I. Theil. Item Böhmens Vorles.

33.) Geograph. Germ.

34.) Cap. XLI. expressis verbis: In Hermunduris Albis oritur flumen.

35.) *Strabo* libr. VII.

36.) *Annal.* libr. XIII.

37.) *Libr.* II. cap. CVI.

38.) *Tacit.* de moribus Germ. cap.

atque Albim adeo, procefferunt, et cum priscis incolis vnum effecerunt populum. Illi enim Slaui, multis minoribus populis, *Sarmatis* scilicet, *Scythis*, *Budinis*, variisque aliis, constantes, primis statim post Christum natum saeculis Europam fere omnem inundarunt, et armati vsque ad *Misniam* et *Albim* progressi sunt, vnde etiam Misnia interdum Sorabiae nomine venit. 39.) Iis Saxones adeo cedebant, qui eo tempore regiones Albis tenuere. *Franci* tamen, summa rerum potiti, principatum iis eripuerunt. Qui, licet continua bella cum iis tumultuantibus haberint, successu temporis tamen Thuringiam et Francorum regiones depopulabantur, ita, vt hi Saxonum auxilium implorarent. Cum Bohemia quoque, litis omnino expers, ab illis perturbaretur, a Francis illa auxilium petiit, qui vero, cum ipsi Sorabos coercere haud valerent, Bohemiam non adiuuarunt. *Samum* ergo regem crearunt, qui *Avaros*, Soraborum coniunctissimos, deuicit, et, victoria reportata, patriam liberauit. Saxones vero non solum auxilia non miserunt, sed adeo contra ipsos Francos subito seditionem fecerunt. Quo tumultu sedato, *Sorabi* quidem rursus seditionem fecerunt, cum vero auxilia iis desissent, et ipsi Saxones contra eos pugnarent, in deditionem venerunt, et denique prorsus subacti sunt. Vrbes, aut potius tuguria, multis locis ab eis exstructa, a Saxonibus, duce Henrico I, in meliorem statum redigebantur. Hic princeps etiam nouum has terras diuidendi modum instituit, et pagos Soraborum aut Vinidorum in Burgwartas, Castella, et Comitatus mutauit, quos contra palantes hostium turbas instaurari iusserat.

B.) DE ORIGINE VRBIS IPSIVS,

et de variis, qui eius conditores fuerint, opinionibus.

Et hic, sicut in omni Germanorum historia, dissensiones oriuntur, cum quisque scriptor, diuersis ex causis, alii aut populo, aut personae originem Dresdae adscribat. *Drusum* primum fuisse, qui condendae vrbi

39.) Heinrichs sächsische Geschichte, I. Theil.

urbis ansam praebuerit, absurdissimum est, id quod ex hisce Suetonii *) verbis affirmari posse putant: „Is Drusus in quaesturae, praeturaeque „honore dux Rhaetici, deinde Germanici belli, Oceanum septentrionalem „primus Romanorum navigavit: trans Rhenum fossas noui et immensi ope- „ris effecit, quae nunc adhuc Drusinae vocantur. Hostem etiam frequen- „ter caesum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit „insequi, quam species barbarae mulieris, humana amplior, victorem ten- „dere ultra, sermone Latino, prohibuisset,“ huncce in modum eum alloquens: „Quo pergis, Druse, cupide et inexplebilis? Non enim potes „haec omnia ex fatis videre; quam ob rem recede, nam tibi iam adest „exitus vitae, et rerum tuarum omnium.“ 40.) Ex verbis Suetonii supra allatis, mihi appareat nondum videtur, Drusum vsque ad nostras regiones, ei plane incognitas, peruenisse, inprimis cum Strabo memoriae prodiderit, ipsum Augustum Imperatorem, Albim transgredi ei haud permisisse. Quae vero omnia etiamsi non sint, credi tamen non potest, Germanos tropaeum, ab hoste in eorum ignominiam exstructum, non statim euertisse. Multi quoque Carolo magno urbis foundationem adscribunt 41.) et Caluissium monachum afferunt, qui vero altum de hac re silentium tenet. Carolus M. enim nunquam in nostras regiones venit, ita, vt dici certo haud possit, vtrum Carolus M. castellum contra palantes Bohemos exstrui curauerit, nec ne. Mysii, quos Weckius inter huius regionis populos collocat, qui vero, vt notissimum est, natio Asiae minoris fuerunt, eius conditores esse non possunt. 42.) Aequè minus Dresda nomine Wittekinds Residenzstadt appellari potest. 43.) Multi etiam dicunt, Dresdam iam tempore Henrici Aucupis pagum, nullis portis inclusum, fuisse. Millesimo iam anno post Christum natum extitisse creditur. 44.) Hermundurós vero urbis conditores fuisse quoque dici non

*) Sueton. in Claud. cap. I.

40.) Dio Cassius. L. 55.

41.) Anton Weck Chron. Dresd. Fol. Anton Weck, libr. citato.

42.) Idem scriptor.

43.) Iceanders königliches Dresden.

44.) Theatr. Saxon. Tom. III. item

non potest, quoniam magis circumerrarunt, et plerumque sub Ioue vixerunt. *Sorabos* autem conditores fuisse, mihi verisimillimum esse videtur, cum bonae eorum indoli Misniae cultura debeatur, 45.) id quod multi cum Erasmo Stella, post doctas inuestigationes, assumferunt. Caeterum Dresdam ao. 930. conditam esse, haud temere concludi potest. 46.) Forsitan Henricus Auceps, aut Marchio quidam, bonae et fertilis terrae amoenitate commotus, castellum hic exstruxit, sed sub iudice lis est, vtrum hoc veritati conueniat, nec ne. Nunc et de

a.) Nomine eius nonnulla proferre liceat.

E variis, quas supra attulimus, opinionibus, de conditoribus quoque diuersae nominis etymologiae, et deriuationes, ortae sunt. Multi falso, vt supra iam diximus, Druso, sicut *Weckius*, a Iosua Malero in Dictionario latino-germanico seductus, vrbis appellationem tribuere, alii Dresdam a tribus lacubus nomen ducere, contenderunt, de quo autem vehementer dubitandum est; nam cum *Sorabos* eius conditores fuisse certum sit, nationes illas Vandalicas vrbis novae conditae germanicum nomen dedisse, verisimile non est. 47.) Alii a *Dresede* *) nominari dicunt, verbo, quod germanicae originis est, scilicet *Trescammer*, aut *Dresedecammer*, nihil aliud significat, quam *aerarium*, *seclusorium*, 48.) (germ. Schatzkammer,) ob terrae fertilitatem (et sensu ecclesiastico *sacrarium*,) alii a verbo *dresch* sive *deredze*, vbi bene est. 49.) *Iccander*, scriptor fide haud dignissimus, ab Infinitiuo, vt ait, forabico *Driaschdschach*, deducit, quod *Weckius*, per locum *irritationis ad pugnam*, interpretatus est. Quantumuis autem magna etymologiae sit perspicacitas

45.) Schöttgens diplomatische Nachlese, Tom. I. pag. 374.

46.) hoc optime docetur, in Hafsens ausführlicher Beschreib. Dresdens. I. Th.

47.) Weinarts topographische Geschichte Dresdens.

*) Sic quoque Dresnem, Drazdzw et

Drazdonech nominatur, v. Leonhardi Erdbeschreib. der sächsischen Länder.

48.) Simonis oratio de Dresda. rar.

49.) vid. Abhandlung von Schöttgen, über den Namen und Ursprung Dresdens, im Dresdner gelehrten Anzeiger, 1750. 1. — 2. Stück.

tas et doctrinae species, mihi tamen deriuatio illa a *Trasi*, quod per *ra-*
tem vulgo interpretari solent, conuenientissima videtur. 50.) Dresdam
iam olim *Dreseden*, aut *Dresdin*, appellatam fuisse, diplomatibus, nobis
ex iis temporibus referuatis, satis superque apparet. 51.)

b.) De situ urbis, et de fluuiis ad Dresdam fluentibus.

Hermunduros locum domicilio constitutum non habuisse, neminem
fugit, qui eorum symbolum legit „*turpe cingi moenibus, ut retibus ani-*
malia.“ Sorabos vero, eorum successores, Misniam in pagos diui-
fisse, (Gae) quo nomine plerumque incolae plures in vnum, vt ita
dicam, corpus redacti, insigniti erant, inter omnes constat. Urbem
Dresdam in eiusmodi pago sitam fuisse certissimum est. Vulgo in pago
Nisani positam fuisse creditur. *Weckius* magnam adhibuit operam, ad
demonstrandum, quo loco Dresda nostra, secundum geographiam vete-
rem, sita sit. Nos autem in eo acquiescimus, in quo plurimi eruditi
consentiunt. Tempore enim *Wladislai*, Electoris Ernesti, ducisque
Alberti, illa regio Misniae nomine venit, quae inter *Albim* flumen, *Seb-*
nitz, *Pulsnitz*, *Elystrem nigrum* duasque Moldas sita est. Pagum vero
Nisani olim ab oppido *Scharfenberg* vsque ad Dresdam et fines *Bohe-*
miae se extendisse, Schottgenius affirmat. 52.) Simon, Rector Scholae
crucianae, in oratione sua de Dresda dicit: „*In hac autem regione* (ni-
mirum in Misnia) *Dresda ita situm obtinet, vt versus ortum fere habeat*
„Lusatiam superiorem, versus meridiem Bohemiam et Sudetes montes,
„versus occasum Thuringiam, et versus septentrionem denique Marchio-
„nem et Saxoniam.“ Non alienum erit, si flumina, quae Dresdae ad-
iacent, huic rubro inserta affero, quoniam situm eius melius distinguunt,
et ea, quae supra commemorauimus, probant. Praecipuum eorum *Albis*
C 2 est,

50.) Heinrichs sächsische Geschichte, I. Theil, pag. 55.

51.) Sic quoque Canzler, δ πένυ, in libr. doct. Tableau historique pour servir

à la connoissance des affaires politiques et économiques de l'Électorat de Saxe, pag. 208.

52.) diplomat. Nachlese, item Heinrichs sächsische Geschichte, I. Theil.

est, in finibus Silesiae oriens, cuius amoenitati urbis amplificatio haud temere adscribitur, cum et ad naues onustas portandas aptissimum sit, et ad delectationem populi plurimum conferat, imprimis cum vbique fere montibus claudatur, his nostris temporibus vineis, domibus, villis, etc. distinctis. Flumen hoc urbem Dresdam et Neostadium discernit, multos riuulos accipit, et denique ad Hamburgum in mare septentrionale se effundit.

Extat quoque fluvius minor, *Weiseriz*, aut *Weeseriz*, *Wistriz* et *Bisttize* vocatus 53.) quod vltimum nomen ab Henrico Illustri (dem Erlauchten) ei inditum est. 54.) Maximam partem Fridericostadii praeterfluit, et sub vrbe in Albim exoneratur.

Accedit denique riuulus, nomine *Kazbach*, aut *Kaizerbach*, de quo vero nihil memoratu dignum superest, quam quod forsitan a vico *Kaiz*, haud multum ab vrbe distante, nomen duxit.

Caeterum vrbs Dresda anno, vt dicunt, 1400. a Friderico III. Rege Romano, alii autem 1443. diplomate ea ratione exposito, ius stapulae accepit.

1.) *Vbi primae domus, vel plateae, aedificatae fuerint?*

eum earum, quarum nomina vulgo nota non sunt, et reperire potui, notitia.

Cum ea pars Dresdae, quae Neostadium appellari solet, vetustior sit illa, quae nunc *Altstadt* vocatur, verisimillimum est, primos incolas trans Albim confedisse. 55.) Fluuii autem inundationibus vexati, et ripa e regione paulo altiore, flumen transgressi, collem, qui nunc sub nomine *Taschenberg* venit, primo inhabitauerunt, (ao. 1020) quare illa urbis pars quasi colonia Neostadii fuit. 56.) Paulopost siluula, ripam circum-

dans,

53.) vid. diploma de ao. 1206. a Dietrichio, Marchione Misniae.

54.) diploma, de ao. 1284.

55.) Theatr. Saxon. Tom. III.

56.) Hafschen ausführliche Beschreibung Dresdens, I. Theil.

dans, penitus destructa, et posteriori tempore tuguria circiter vsque ad *Templum b. virginis* *) identidem aucta sunt. Henricus Auceps castellum quoque ibi exstruxit, et caeteri Marchiones Misniae haec nouae urbis rudimenta fauore suo dignati sunt, ita, vt progressu temporum ad tantam, qua nunc floret, pulchritudinem accreuerit. Liceat adhuc, inter platearum nomina memoratu digna, ea tantum afferre, quae per se, sine historia, intelligi et explanari non possunt.

Plateam, vulgo *Schreibergasse*, a scribendo nomen ducere, naturae conuenit. Curia enim antiqua extante, collegium scriptorum magistratus (Rathschreibereistube) in hanc plateam se conuertit.

Platea, quae dicitur *lata* (Breitegasse,) ob magnam eius latitudinem sic nominata, antiquiore aetate *Kundigergasse* appellabatur.

Platea vulgo *Zahngasse* nominata, primum *Sanitätsgasse* vocabatur, cum ibidem, pestis tempore, medicus, a Magistratu constitutus, propria domo, ea ratione aedificata, die nocteque permanferit. Ufu tyranno mox *Sahngasse* cognominabatur, qui tandem nomen corruptum *Zahngasse* progeniuit. 57.)

Die Webergasse, olim *kleine Webergasse*, hancce appellationem accepit, quoniam ibi textores habitare solebant.

Die Scheffelgasse, remotiore aetate die *große Webergasse* nominata, ao. 1522. hoc nomen accepit, 58.) quia noua a duce *Georgio* instituta fuit mensura, cuius effigiem in angulo plateae erigi iussit.

Die Schöffergasse, olim *Nikolaistraße*, aut *Nikelsstraße*, a facello, Nicolao, sancto vt credunt viro, dicato, nomen duxit, quae quidem appellatio et post restauratam Ecclesiam perseverauit. Cum vero quaestura uectigalium ibi deponeretur, nomen *Schöffergasse* accepit.

Rosnaringasse. Cel. *Hasche* eam a *Rosen Marie* deducit, sed ipse confitetur, hanc esse coniecturam, quae certis argumentis niti non possit.

C 3

Frauen-

*) Frauenkirche, de quo infra.

57.) Über den Namensprung der Gassen in Dresden.

58.) Iccanderſ 1507 sed minus recte.

Fraueugasse, olim *Iudengasse*.
Spohrgasse, haud dubie a calcariariis, ibi plerumque habitantibus, nomen accepit.

Platea, quae vulgo *Nafengasse* dicitur, olim rectius *Nassegasse* nominata fuit, quia ibidem squalor et illuuias pedes euntium vexauit.

Weise Gasse. Haec platea, forsan incendio quodam deleta, et rursus instaurata, ob domorum albedinem atque candorem sic dicta.

Platea *Augusti* ob Augustum Regem conditorem, qui ei, cum antea *Elbgasse* nominata sit, hoc nomen indidit.

Plateae, vulgo *tode Hühnergasse*, proprium nomen est *Hintergasse*, quoniam vallo proxima est.

Rammische Gasse, aut rectius *Rampische Gasse*, nomen ducit a *Rampe*, certo muniendi modo vallo haud dissimili.

Große et *Kleine Schiesgasse*; hae duae plateae haud dubie ob campum iaculatorium, qui vsque ad annum 1760. in minore extitit, sic nominantur.

Morizstrasse, platea splendidis aedificiis fulgens, nomen a *Mauritio* conditore ducit, qui ao. 1550. eam inhabitari iussit, cum antea non, nisi area, fuisset.

Friesengäschen, ob pactum ducis *Georgii* ao. 1505. et fratris eius *Henrici* propter *Frissiam*, cum incolarum pars *Georgium* relinquere noluerit, hanc suburbii partem, nondum inhabitatam, dono iis dedit, vnde hoc nomen ortum.

2.) *Quam religionem primi eius incolae habuerint.*

Primi harum regionum incolae ethnica superstitione tenebantur, quam, *Tacito* teste, alii populi originis germanicae simulacra non adorauerint. Vtrum vero templis iis temporibus iam vsi sint, nec ne, certo constitui non potest. Caeterum, teste *Caesare*, *Solem*, *Lunam*, *Vulcanum*,

num, et, vt Tacitus memoriae prodidit, *Herthum*, id est Terram matrem, coluerunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis, arbitrati sunt. 59.) Item Deum tonitru, nomine *Thoru*, coluerunt, a quo dies Iouis adhuc *Donnerstag* nominari solet. 60.) Sed omnes fere Germaniae incolae Deorum imagines magis in lucis, quam aedibus ad hunc usum constitutis, diuino honore profecutos esse constat, cui superstitioni forsitan et populi, Dresdae regiones incolentes, adscripti fuerunt, vsquedum benefica christianae religionis lux, *Henrico Aucupe* regnante, qui e Sorabia Saxoniam fecit, ad has sedes penetraret, Sorabisque in deditionem redactis, decimo post C. N. saeculo, pro ratione illorum temporum, quanquam magna difficultate, has terras collustrauit. 61.) Successu vero temporis denuo corrupta, et mysticis obnubilata est, quae non prius dissipata et deiecta fuit, quam *Henricus Pius*, successor ducis *Georgii barbati*, meliorem Deum colendi rationem instituit, et litteras indulgentiarum a *Clemente VI.* instauratas, Festo Ioannis populo exhibendas aboleuit, earumque loco nundinas Ioannis haberi iussit. 62.)

3.) De Templis et scholis Dresdae.

a.) de templis,

α.) in vrbe ipsa, Neostadii et Friedericostadii.

1.) Templum b. Virginis, (Frauenkirche) haud dubie vetustissimum est, cuius autem primum initium prorsus ignoratur. Sunt sane, qui illud templum iam X. saeculo exstructum fuisse dicant, vt *Adam Stolze*; sed illo tempore aedes sacrae in hac vrbe nondum fuerunt exstructae, id quod vel inde iudicari potest, quod rebus necessariis sibi paran-

59.) cap. XXXX. 3.

60.) vid. Schmidts Geschichte der Deutschen, I. Theil, 4. Cap.

61.) Schoettgen de antiq. litterarum in terris super. Saxon. fatis §. I.

62.) Hafchens ausführliche Beschreib. Dresdens, I. Theil.

parandis intenti, diuitiis quippe non abundantes, templum ad Deum colendum sibi exstruere nondum potuerunt. *Hattonem Abbatem* ao. 998. hanc aedem primum aedificasse censent. Ao. 1395. haec aedicula plura iam altaria habuit, vnum praecipue, quod omnibus Apostolis, praesertim *Philippo* et *Iacobo minori*, dicatum fuit. Anno 1404. tantum in facelli modum exstructum fuisse creditur. 63.) Circiter ad finem huius saeculi nouam aram accepit, 64.) quam Episcopus a *Cerigo*, suffraganeus Misniae, sexto die Nov. ao. 1483. in honorem *dei, Virginis Mariae, Crucis Christi, et multorum sanctorum vtriusque sexus*, inaugurauit, cum antea a *Friderico bellicoso* ao. 1477. ob nimiam hominum multitudinem amplificata esset. Successu autem temporum, et augente se populo, in aliam plane formam mutata, quam quidem mutationem literae iudulgentiarum, a Pontifice Romano et multis Episcopis, valde accelerarunt. 65.) Quod templum, modo gothico exstructum, vsque ad annum 1727. concionibus sacris patuit; imminente vero ruina. iussu SER. PRINCIPIS AVGVSTI, REGIS POLONIAE, ET ELECT. SAX. curante ciuitatis Magiftratu, destructum, et magnificentissimum opus, Dresdae ornamentis annumerandum, eius loco exstructum, et 1734. consecratum est. 66.)

2.) Paulo minor aetate est Aedes *Sanctae Crucis*, quae vero iam 1230. exstitisse creditur. 67.) Cruce enim lignea in Albi reperta, in hance aediculam, ab vxore *Henrici Marchionis, Constantia Austriaca*, ao. 1229. exstructam, translata fuit; huic cruci festuca Crucis Christi, nuptiis Constantiae, ab Henrico illustri in matrimonium ductae, dotis loco addita, vnde haec aedes, antea monialibus St. Clarae adscripta, *Crucis* nomen accepit. Sed ob nimiam multitudinem incolarum, magis magisque crescentem, ao. 1270. iam amplificata, et in formam magni templi

63.) Beschreib. Alt- und Neudresdens, autore incognito.

64.) Freibergs Historie der Frauenk. in Neudresden, 1728.

65.) Weinarts Beiträge zur sächsischen Geschichte.

66.) Dresdner Adressen 1759. pag. 39.

67.) Hafsche Beschr. Dresd. I. Theil.

templi redacta est, 68.) ad quam amplificationem indulgentiarum litterae, partim a Pontifice Romano, partim ab aliis Episcopis, peregrinationis causa exhibitae, haud parum contulerunt. Sed et hoc templum identidem varias calamitates perpeffum est. Multis enim vicibus fulmine ictum et destructum est; porro ao. 1491, cum magna vrbs parte a flammis subito correptum incendio debebatur, cura vero ducis *Alberti*, quo regnante tota vrbs circiter duas et viginti plateas habuit, ab Episcopo Misnensi, *Ioanne VI*, vsui diuino dicatum est. *Henricus Pius*, sanioris religionis instaurator, hoc templum ao. 1539. Electore *Ioanne Friderico* praesente, in Basilicam emendatae Ecclesiae commutari iussit. Ao. 1543. primum podium (Emporkirche) lapidibus exstructum est. Turris, campanis sustinendis impar, ab Electore Augusto in altum euecta, quinque campanas habuit, quarum maxima, nomine *Maria*, iam in funesta vrbs exustione tempore *Alberti* conseruata erat, quae 131. pondera centenaria habuit, cum hac quidem inscriptione:

CONSOLOR EN VIVA
 FLEO MORTVA
 VIVOS VOCO
 FVLGVRA FRANGO
 CVM MOESTIS MOESTA
 CONGAVDENS NVNTIO FESTA
 ATQVE DEVM PLACO
 VENTVRA PERICVLA PACO
 CONFLATA SVM AO. MCCCCLXXXXI.
 DVCE TVNC REGNANTE ALBERTO.

Item duas horologii campanas accepit, quae ao. 1582. sub eodem principe, duabus collubrinis (*Feldschlangen*) adiectis, turri imponebantur. Ao. 1669. iterum fulgure ictum, sed turris eius tantum consumebatur, quae, quanquam tempestas ruinam minaretur, denuo restaurata est.

Aedes

68.) Merkwürdigkeiten der alten und neuen Kreuzkirche, 1792.

D

Aedes ipsa propriam Bibliothecam habuit, quae curis D. Loescheri, variisque legatis, rarissimis operibus aucta est. 69.)

Bellum autem septennale, toti Saxoniae tam nocivum, Dresdae quoque ruinam minatum est. Rex nimirum Borussiae Fridericus Secundus, ut notissimum, urbem occupavit, eamque, tormentis magis in domus, quam in munimenta versis, solo fere aequavit. Qua tristi oppugnatione turris S. Crucis, cum aede ipsa, die XIX. Jul. MDCCCLX, pyrobolis seu bombis in eam iactis, flamma consumebatur. Fauente autem Numine Supremo, et Auspiciis Friderici Augusti, benevoli Principis, restituta, 70.) et vigesimo secundo die Novbr. MDCCXCII. feruatori consecrata est, 71.) fundamentis MDCCCLXIV. solemmniter iactis. In summo aedis fastigio sub turri haecce verba leguntur:

AEDES. SACRAE. CRVCIS.
SERVAT. CRVCIFIXO. SACRAT.
A. S. MDCCXC.

3.) *Aedes Sophiae*, aut ut dici solet *Templum Aulicum*, eandem fere originem cum praecedentibus habuit. Conditores qui fuerint, adhuc sub iudice lis est. Nonnulli a Marchione *Friderico Hilari* ao. 1321. exstructam esse ferunt, ut Theatrum Saxonicum, et multi alii. *Fridericum Severum* primum fundatorem ao. 1351. fuisse, *Weinart* in eius Topographia urbis Dresdae suadet, qui etiam diplomata huc pertinentia euulgavit. Primis statim temporibus asceterio, ab *Henrico Illustri* aedificato, adscripta fuit, et monachis discalceatis, ad conciones sacras, et ad procerum cadauera ibidem sepelienda, dono data, a Friderico Strenuo amplificabatur, quae emendationes temporis successu augebantur, prae-

69.) vid. Winzenbergers Lobspruch der Stadt Dresden.

70.) De tristi huius templi exustione vid. D. I. I. G. am Ende drei Predigten, 1760. cum append. de eius fati, Dresdae, 8.

71.) vid. Kurzgefasste Nachrichten, von den Solennitäten, mit welchen 1764. der Grundstein zum Kreuzkirchenbau in Dresden gelegt worden, item eine Predigt, bei der Grundsteinlegung, gehalten von D. am Ende.

praesertim cum aediculae, ad latera disperfae, cum templo interno coniungerentur. In sacrorum vero restauratione monachi coenobium reliquerunt, et principis, aulicorumque beneuolentia adiuti, vitam priuatam egerunt, quo quidem tempore diu concionibus sacris caruit. Ao. 1597. magistratus vrbs ad cultum diuinum, et ad proceres in eo sepeliendos, hoc templum accepit, quo tempore prima podia in eo exstruebantur; locus, templum circumdans, faxis quadratis sternebatur, et adiacens equile destruebatur. Paulo post hanc emendationem *Electrix Sophia* hanc aedem a Magistratu sibi petiit, altare per Ioannem Mariam Nossenum instruendum curauit, 72.) quo facto a concionatore aulico Proffario, festo Ioannis 1602. sollempniter consecrata, nomen Aedis Sophiae accepit. In cuius honorem aeternamque memoriam, infra turrim, haecce verba conspiciebantur, quae vero nostro tempore non amplius exstant:

RestitVIt CVLVS haC aeDe DVCIssa SophIa
 LVX qVarta Vt febrVI CVrret orta polo
 IsthacC porta reCens VbI DVCI CoepIt In aVras
 IVLIVS en! rVdLo VoLVIt In aXe DIes.

Hodierna inscriptio, quam Magistratus incidi iussit, sic se habet:

D. S.

SOPHIAE ILLIVS PERENNATVRAE
 ARTIS NIMIRVM BENE MORIENDI CVLTVRVM VSVI,
 GRADVS HOSCE COMMODIORES EXSTRVI CVRAVIT
 SENATVS DRESDENSIS.
 MDCXCV.

Ao. vero 1610. Magistratui iterum cedebatur, cuius auspiciis adhuc floret. Rege autem Poloniae Elect. Sax. Augusto I. regnante, conciones sacrae, quae antea in arce habitae sunt, aedi Sophiae imponebantur, quod quidem festo Trinitatis, ao. 1737. initium cepit, et vsque ad hanc diem durauit, et adhuc durat.

D 2

4.) Tem-

72.) Oettrichs Verzeichniß derer Verstorbenen, und zu St. Sophien Begrabewen, 1711.

4.) *Templum Neostadiense*, aut Aedes Regum trium sanctorum, varias quoque sortes perpeſſa eſt. Iam antiquiſſimis temporibus coenobio Auguſtinenſi, a Marchione Wilhelmo Cokle extructo, adſcripta fuit, vnde adhuc platea exſtat, quae vulgo Cloſtergaſſe dicitur, quod autem ao. 1429. Taboritarum et Huſſitarum inuaſionibus, imperante *Fridericco Pacifico*, hoſtili flamma, cum tota fere vrbe, conſumebatur. Fratres monaſterii haud lubenti animo, emendata eccleſia, domicilia ſua reliquerunt, et priuatam egerunt vitam. Ad aedem autem ipſam quod attinet, iam 1480. extitiſſe fertur. 73.) Cum autem et hic, vt Dresdae omnino, incolarum multitudo creſceret, 1515. amplificabatur. Sed ao. 1685, *Ioanne Georg. III.* regnante, iterum templum, cum toto Neſtadio, incendio debebatur, in cuius pernicioſi memoriam, vsque ad hanc diem, quotannis fermo habetur, 74.) ſed iam ao. 1688. *feſto Paſchali* ſollempni modo dedicabatur. Coemeterio vero ſub rege Auguſto, quod iam 1576. *) in alium locum ante vrbeſm translatum erat, plane deſtructo, ao. 1732. reſtauratum, et finito opere a *D. V. E. Loeſcher* ad ſacrum cultum conſecratum eſt.

5.) Ad maiorem vrbiſ ſplendorem et commendationem *Aedes Catholica* Electoralis, a Rege Auguſto 1737. pie deſuncto fundata, pertinet. Mutata enim religione, Romanae religioni addicti ao. 1708. odeum, ad cultum diuinum deſtinatum, habuerunt. Auſto vero eorum numero, nouum templum fuit neceſſarium. Architectus *Gaetano Chiaueri* primum eius delineationem fecit, illo vero in Italiam abeunte, *Auguſtus III. Sebaſtiano*, aedilium praefecto, curam aedificii mandauit; quo mortuo *Knüſel*, et denique *Schwarze*, eius locum obtinuit. Totum templum, genio italico extructum, ſexaginta quatuor ſimulacris, manu celeberrimi *Torelli* delineatis, et ab artifice *Martielli* exciſis, ornatum, die XXIX. Iunii ao. 1751. tacite conſecratum eſt. Turri, elegantiſſimum in modum extructae, haecce verba incifa ſunt.

D. O.

73.) Weinarts topograph. Geſchichte
Dresdens.

74.) Haſche libr. citato, Tom. I.
*) Alii malunt, 1573.

D. O. M.
HANC SACRAM AEDEM
AVGVSTVS III. CONDIDIT
M. DCC. LIV.

6.) *Aedes reformatae formulae addictorum*, altera ex parte iuxta domum Excell. Com. a Lofs, qui Electori est a consiliis reipublicae tractandae interioris admissionis (Cabinetsminister,) altera iuxta domum, quae vulgo dicitur Fraumutterhaus, sita est. Ante bellum septuennae quidem in oppidani domo, in foro quod nominatur Altenmarkt, oecus, mercede conductus, Reformatis fuit, ubi conciones habebantur; illo vero cum domo combusto, hanc aedem, Principe permittente, sibi aedificarunt.

7.) Templum *Praesidii Dresdensis* (Garnisonkirche) iam simul cum aedificio ao. 1715. excubiis huius urbis primariis destinato (vulgo Hauptwache) fundatum, et in magnam fori novi partem extensum, cum eo ante bellum septuennae cohaerebat. Cum vero haec domus, urbis incendio, flammis consumeretur, interim sacra, iussu Electoris, oeco armamentarii vsque ad hanc diem habita sunt et adhuc habentur.

8.) *Aedes Fridericostadiensis*, 1728. iussu Regis Augusti III, qui huic urbi proprium templum concessit, primum fundata est. Initio enim incolae tantum parochiales *aedis Annae* erant, hoc autem principe, et diuina ope, iam eodem anno vsque ad contignationem peruenit, et magno Iubilaeo ao. 1730 Numini supremo colendo, magna incolarum laetitia dedicata est.

9.) Accedit denique aedes, ad condenda urbis munimenta damnatorum quae quidem, quanquam haec poena vetustissima sit, tamen recentioris originis est. Etenim imperio Augusti, 1711. primum exstruebatur. 75.) Augusto vero III. regnante, et toto hoc loco muneri dato, facellum, quod olim aderat, destructum, et posticus domum vulgo *Fraumutterhaus* dictam exstructum. Ao. 1780. iussu Ser. Electoris supra testudinem portae Pirnensis nouum aedificatum est.

D 3

β.) Tem-

75.) Hafsche libr. cit.

β.) *Templa suburbiorum.*

10.) *Aedes*, aut potius *aedicula Ioannis*, in suburbio Pirnenfi sita, iam 1519. sub imperio *Georgii Barbati* exstructa est, cuius origo multitudini funerum, quam polyandrium, seu coemeterium aedem Mariae olim circumdans, complecti haud potuit, assiduisque Scholae cruceianae collegarum querelis debetur. Eo tempore nomen *Iohannis-kirche*, forsitan in memoriam Ioannis baptistae, accepit. Regnante vero Georgio I. 1649. exulibus Bohemicis adscripta est, quare vsque ad hanc diem Templum Bohemicum dicitur. Denique ruinam, ob vetustatem, minans, disiecta et denuo permissu principis clementissimi, sub auspiciis magistratus praefantissimi restituta, mox sine dubio consecrabitur.

11.) *Aedes orphanotrophii* 1712. exstruebatur, de qua nihil aliud dici potest, quam quod ao. 1760. totum hoc aedificium funditus destruebatur, cuius ruinae, vsque ad annum 1772, tristem vrbis oppugnationem in cuiusvis memoriam reuocarunt. Cum vero eo anno, fundamentis sollempniter iactis, restitui coeperit, 1780. sacro cultui dedicabatur.

12.) *Aedes Annae* falso huic matronae adscribitur; fatis enim notum est, Electorem Augustum I. solummodo vxoris suae intercessione et precibus commotum, ob nimiam suburbii huius amplificationem, ao. 1578. eam exstruxisse, et tanto quidem ardore, vt haec aedes iam die XX. Iul. eiusdem anni inauguraretur. In memoriam huius intercessionis Templum Annae nominabatur. Princeps Ioannes Georgius I. hoc aedificium noua turri exornauit. Tanto flore per tria fere saecula gauisum, vsque ad annum 1760, quo hostium furore, cum schola, et magna suburbii parte, destructum est. Pace vero restaurata, iam ao. 1766. magno incolarum gaudio fundamentum eius iactum, et 1769. die 8. Octobr. sacro cultui dedicatum est. Probat superiora inscriptio, supra propylaeum posita:

TEMPLI BELLO DESTRUCTI REAEDIFICATIO
REDDITA PACE, AO. MDCCLXIII. COEPTA, DIVINA OPE
AO. 1769. ABSOLVTA. GLORIA DEO.

13) *Aedes*

13.) Aedes nosocomii, (Lazarethkirche,) domi speciem habens, ao. 1702. fundamenta accepit, 1732. amplificata, et deinde 1738. denuo exstructa, quo quidem tempore, conciones sacrae, hic habendae, in aedicula Bartholomaei habitae sunt.

b.) De aediculis vel sacellis aliis

a.) Successu temporis destructis.

1.) *Sacellum Aulicum*, FÜRSTENCAPELLE, iam Weckii tempore non amplius exstitit. Eius loco, renouationis arcis occasione, aliud quidem exstructum, quod vero rursus mutatum, cuius sacra, vt iam monuimus, in aede Sophiae habitae sunt.

2.) Sacellum St. Nicolai, olim in curia Neostadiensis, quae nunc *Altdresden* vocatur, fuisse constat. Fridericus, comes prouincialis, 1312, prima sacra in eo fieri permisit. 76.)

3.) Sacellum St. Alexii, in ponte Albis, vt Weinart in topographia suadet, iam saeculo XIII aut XIV exstructum, cuius reditus ad pontis emendationem, 77.) et ad maiorem eius splendorem adhibuerunt. Caeterum in honorem corporis Christi conditum erat. Extat adhuc diploma foundationis, quod *Hilscher* nobis tradidit. Ibidem per hebdomadem sacra habita, et sanctas cantiones certis diebus decantatas fuisse, constat. 78.) Eius reditibus, Georgio duce, ptochio St. Iacobi adscriptis, ab hoc principe prorsus abolitum est.

4.) Sacellum *St. Iacobi* ante portam, quae vulgo *Seethor* nominatur, a 1456. a *Terenbachio*, sacrorum antistite, primum fundatum, et quidem sustentandorum religionis causa peregrinatorum, vnde quoque *Kapelle der Wallfarthsbrüder* cognominari solebat. Haec vero aedicula ao. 1535. flammis destructa, ab eodem principe Georgio restitutione impedita, eius reditus ad condendum ptochium Iacobi adhibebantur.

5.) Sa-

76.) Weck pag. 279.

78.) Wecks Chronie.

77.) Hafsche To. I. libr. cit.

5.) Sacellum, quod dicitur *unsrer lieben Frauen Quekborn*, cuius conditor, D. Eisenbergerio admonente, et concessu Ioannis Episcopi Misnensis, cuius diploma Weck Chron. pag. 218. memoriae prodidit, Marchio Georgius Barbatus creditur. Origini huius aediculae partim foeminarum foecundatio, ex fonte ibidem scaturiente, partim suffragia beatissimae Virginis ut implorari possint, 79.) anam praebuisse videntur. Cum vero nimius concursus fieret, ita ut aedes S. Crucis fere negligere-
retur, a nuntio Georgii commemorati, quem Romae habuit, destructio facelli efficiebatur, ita, ut adeo nostris temporibus eius locus ignoretur.

6.) Aedicula *St. Materni*, ante portam, non amplius exstantem, cum iam a Mauritio Electore destrueretur, quam vulgo *Frauenthor* vocamus. Weckius huius facelli foundationem sic enarrauit: „*Es war ein klein Capellchen, wo im Spital St. Materni, zum Behuf der armen preßhaften Leuthe, welche, weil die Frauenkirche damals nicht brauchbar war, in die Creutzkirchen, Unvermöglichkeit des Leibes halber, nicht kommen konnten, erbaut.*“ Restituto vero templo b. Virginis, iterum euerfa est.

7.) Sacellum *St. Erasmii*, extra Neostadium, paululum a via Misniam ducente, remotum erat. Nomen *Einsiedlercapelle* ubique tere inuenio. Caeterum ad coenobium Neostadiense, cuius mentionem iam fecimus, pertinuisse traditur. Wilhelmus Luscus, primum ao. 1404. hanc aediculam instituit.

β.) De facellis adhuc exstantibus.

a.) Sacellum *St. Iacobi*, in quo per hebdomadem bis conciones sacrae habentur, ao. 1539. a duce Georgio in usum gerontocomii exstructum est, et vsque ad nostram memoriam peruenit.

b.) Eiusdem fere generis est aedicula *St. Bartholomaei*, cuius fundatio certo constitui non potest. *Nicolaum* quidem Episcopum conditorem

79.) vid. Dipl. instaurationis in Weck Chron, pag. 281.

Autorem credunt, qui etiam hic Dresdae sepultus est, 80.) quod ex hoc eius epithaphio patet:

ANNO DOMINI MCCCXCI IN VIGILIA ST MATHAEI
 OBIIT REV. IN CHRISTO PATER ET DOMINVS
 NICOLAVS EPISCOPVS CONSTANTIANENSIS.

Eum autem illam aedificasse, verisimile non est, cum, eo moriente, quinquaginta quatuor annos ea iam exstiterit. Ante restauratam Ecclesiam hodierni Annae templi loco sacra in ea fiebant. Ea vero constituta, pestis tempore sacrorum refugio patuit. Sic quoque multi *Fridericum Seuerum* 1337. conditorem ferunt, sed res adhuc incerta est. Caeterum nostro tempore, vt tribus mensibus anni elapsis sacra coena, et conciones sacrae, pauperibus feminis habeantur, quae in prochorio, nomine *der Geist*, haud procul ab aedicula illa sito, nutriuntur, a Magistratu constituta est.

Ὡς ἐν παροῶν ἀτtingere liceat, extare adhuc minores oecos, in quibus religio exercetur, e. g. fundatio Romanae religioni addictorum, in domiciliis militum iunctis, (vulgo *Casernen*,) eorundemque oecos, sacris destinatus, in vsum illorum, qui ad opera publica damnati sunt, sub porta Wilsdruffiana, vt et Aedicula *Fridericostadiensis*, quae etiam Catholicorum est. Iudaeos, non templum, nec synagogas, sed conuentus, scholarum nomine venientes, habere notissimum est.

c.) De Scholis.

Vrbs Dresda quatuor omnino scholas publicas habet, quarum praecipua Schola cruciana. Cuius vero origo tam crassa nebularum et tenebrarum nocte inuoluta est, vt ingenue fatendum sit, et rerum adeo earum peritissimis prorsus eam esse incognitam. *Weckius*, vrbis nostrae historicus, quanquam diplomatum fide dignissimorum haud dubie compos,

80.) Conf. Schöttgen dissert. de Episcopo Constantianensi Nicolao, Dresdae sepulto.

pos, ne voculam quidem de eius origine dicit, et *Schöttgenius*, vir omni mea laude maior: „*qualis*, inquit, *scholae facies ante illud tempus Dresdae fuerit, quo sacra Evangelica in eandem sunt illata, hodie fere ignoratur*; et paulo post: *Liceat interim paruulas, de antiquiore Dresdensis scholae statu, micās colligere — nostrum est, tabulas naufragas sollicito studio conquirere.* 81.) Schola cruciana antiquissimis temporibus quidem monasterium fuisse fertur, sed nemo hoc probare poterit. Weckius eam 1557. exstructam esse scribit, sed simul confitetur, illam antea iam adfuisse. 82.) Dux *Henricus* eam ao. 1539. sub specie aedificii, cum sacello crucis cohaerentis, in quo Scholam haberi iussit, Magistratui concessit. Ao. 1619. iterum emendabatur, et lapidi supra portam, e regione templi Crucis, haecce verba incidebantur:

AD DEI GLORIAM, ECCLESIAE SALVTEM, ET
TOTIVS VRBIS VSVM, HANC PIETATIS ET LITTERA-
RVM OFFICINAM, AMPLISS. REIPVBLICAE DRESD.
SENATVS AO. MDLVII. AEDIFICARI, SED AO.
XSTI MDCXIX. RENOVARI SVIS CVRAVIT
SVMTIBVS.

*Huc propera, studiose puer, tibi discere Christum
Sit prior, hinc artes altera cura bonas!*

Schola Neostadiensis, a Wilhelmo Cokle aedificata esse dicitur. Princeps Henricus nimirum, cuius benevolentia, vt iam commemorauimus, schola Crucis meliorem in modum restituta est, hanc quoque emendauit. Post exustionem restaurata et restituta; in cuius rei memoriam, haecce verba supra portam leguntur:

PIETATIS ET BONARVM ARTIVM OFFICINAM
FERALI INCENDIO,
AO. MDCLXXXV. D. VI. AVG. CVM TOTA PENE
CIVITATE IN CINERES VERSAM,

PRI-

81.) Confer. Notitia scholae Dresdensis, ante tempora reformationis.

82.) pag. 283. sic quoque Hasche l. c. T. I. pag. 308.

PRIMUM VOLVIT RESTAVRARIER MVNIFICA
AMPLISSIMI SENATVS CVRA.
AO. MDCLXXXVI.

Annaeum, vel Scholam Annae, ab Anna Electrice conditam esse, vel solo nomine patet. Ao. enim 1578. et 79. exstruebatur, vnum ab initio tantum praeceptorem habens. Sed de fati eius nihil certi dici potest, quam quod, bello septuenni hostili flamma consumta, ex ruinis eius elegantiore in modum surrexit.

Schola denique *Fridericostadiensis* tantum ad educandos pueros, opificiis et operae manuariae destinatos, constituta est, et diu solummodo vnum praeceptorem, cantoris nomine, habuit. Nunc vero sub nomine scholae pauperum et realis (Real und Armeninstitut) magis amplificata, pluribus praeceptoribus gaudet, quibus vnus, Directoris nomine, praest, cuius curae simul seminarium praeceptorum futurorum demandatum, qui occasione gaudent, ad magnam liberorum, qui hic instruuntur, copiam erudiendam conferendi. Quod quidem beneficium ampliss. Assessori summi Consistorii Electoralis Roedlero debetur.

Schola a caementariis liberis instituta (vulgo *Freimäurerinstitut*) ao. MDCLXXII. initium cepit. Plures nimirum eius ordinis homines venerandi liberos pauperum parentum hic exceperunt, bonisque praeceptoribus tradiderunt. Postea, pecuniam conferendo, hanc rem et futuro tempore permanere voluerunt, curamque primo eius temporis praefecto iuridico (Oberamtman) D. Reinholdt, et concionatori aulico Viro summo venerabili M. Raschig tradiderunt, quem Deus plures adhuc per annos saluum ac sospitem esse velit.

4.) *De Portis.*

Vrbs Dresda multas olim portas habuit, successu temporis destructas, de quibus pauca praemonere liceat. Duce Georgio nimirum regnante, a quo Dresda prima munimenta accepit, sex portas, et vniam portulam

E 2

habet.

habet, e. g. portam, quae *Frauenthor* dicebatur; et portulam a cruce *Kreuzspforte* nominatam. Mauritius vero, qui nova munimenta instituit, has duas aboleuit. Porro *Portam Albinam* 83.) (*Elbthor*,) quae olim cum ponte cohaesit, et multis vicibus exornata et emendata, denique imperante *Augusto Forti* prorsus deleta est. Porta *lateraria* (*Ziegelthor*) haud dubie ea ratione ita nominata, quia lateres eius regione coquebantur. Porta, das *Rampische* cognominata, olim adfuit, sed *Mauritio* iubente ao. 1552. cum eius ponte solo aequata est. Elector *Christianus I.* portam *laterariam* et portam *Salomonis*, quae etiam Crucis vocabatur, destrui voluit, cuius vltimae loco Portam *Pirnensem*, ao. 1590. extruxit, quae nostra aetate, Ser. Electoris iussu, de nouo restaurata est. Porta vero, omnium antiquissima, das *Wilsdruffer*, cuius historici optimi iam 1313. mentionem fecerunt, 84.) ao. 1547. in meliorem modum restituta. Elector *Christianus II.* turrim super eam extructam emendauit et renouauit, his distichis in ea positus, tempestate vero oblitteratis.

CHRISTIANVS MAGNI PER SAXONIS ORA SECVNDVS
 HANC TVRRIM FACIEM IVSSIT HABERE NOVAM,
 STET RENOVATA DIV TVRRIS, SINT PROSPERA NOSTRA
 SECLA PRECOR, STABIT SIC RENOVATA DIV.

Porta, quae vulgo *Seethor* dicitur, antiquissimis fere vrbis temporibus, sed non sub portae specie, adfuisse, verisimillimum est. In nouis autem munimentis faciendis, ao. 1550. lapidibus expleta est, carcere ei imposito, qui vulgo *der Trozer* vocabatur, sed *Augusto II.* Rege Poloniae, Electore Saxoniae iubente, hodierna porta, vectigali incolis huius plateae imposito, extructa est. *Neostadium* quoque, suis nostro tempore portis gaudens, antiquiore aetate iis caruit. Continuis vero bellis grassantibus, portas accepit. *Weckii* tempore quatuor omnino portas habuit, nimirum Portam *Misnensem*, quae nunc *das weise Thor* dicitur.

83.) Hilschers Nachricht von der Elbbrücke, §. 18.

84.) e. g. cel. Hafke, l. c. Tom. I.

dicitur, Portam *Lusatiae* quam nos *das schwarze* vocamus; hae quidem duae et adhuc exstant. Porta *Albina*, vltiore pontis parte sita, et porta aquaria (*Wasserthor*) non amplius reperiuntur. Has omnes portas a Georgio II. accepit, duae vero, quae adhuc exstant, Augusto III. debentur.

5.) *De alia huius vrbs amplificatione et exornatione.*

Sorabi, quibus nostrae terrae culturam debemus, cum hac regione confedissent, Rex *Henricus Auceps*, regionum amoenitate, fluminis vicinitate, et soli vbertate permotus, primum Burgwardium hic extruxisse dicitur. Eius enim tempore Dresdam iam exstitisse nemo abnuere poterit, cum haec opinio omnium doctorum historicorum fulcro nitatur. 85.) Quo tempore aedes b. Virginis iam extabat, ad cuius imaginem magnus hominum concursus fiebat. Marchiones Misniae Dresdam praecipuo fauore dignati sunt, sed, quod mirandum est, vrbs Neostadium minores progressus fecit, quam Dresda ipsa. Qui vero ei ius ciuitatis dederint, dictu difficile est. Marchio Otto diues primum hic habitasse creditur, 86.) de quo vero magnae difficultates oriuntur. Arx Dresdae eo tempore minimi momenti erat, et plateae, vulgo *Taschenberg* nominatae, adiacebat. 87.) Aula quoque Romana Dresdam, vt notissimum, variis diplomatibus, et indulgentiarum literis, dignabatur; sic quoque *Wilhelmus Luscus* Neostadio ao. 1403. iura ciuilia dedit. Pontem adfuisse verisimillimum est, sed quo anno, et a quo exstructus sit, adhuc incertum est. *Dedone* iam Misniam possidente, ligneus, vt multi dicunt, pons consciebatur. *Theatrum Saxonicum* quidem *Marchionem Fridericum Hilarem* eius conditorem assert, et Burggrauis *Dohnae* vestigal eius attribuit, sed vnde, quaeso, hoc probatur? Idem honos Imperatori *Henrico IV.* adscribitur. Iam 1343. aquarum vi ligneus hic

E 3

pons

85.) Hafche I. c. T. I.

86.) Theatr. Sax.

87.) Weck Chron. pag. 24. — 50. eius descript. continet.

pons destructus, vnde hi Rhythmologi in libro quodam coenobiali extantes, leguntur:

„Braxedis festo, rogo te, non immemor esto,
 „Diluuium rumpit fontes, et tres quoque pontes,
 „Post haec Gregorj sub festo nobiliori,
 „Vndosa glacie Dresdensis pons ruit Eu vae.

Wilhelmus Luscius ao. 1407. inopinato decessit, quo facto *Fridericus Pacificus* partitione urbem accepit, qui vero eam a Burggrauiio administrari iussit. Ao. 1430. omnis Dresdae regio Taboritarum et Hussitarum inuasionibus vastata, quod iam ao. praecedente fecerant, quod quidem tumultu pontis quoque mentio fit, cum earum turba antea *Neostadium* depopulata esset, et vltra tendere conaretur, tormentis in turri pontis (*Brückenthurm*) hoc facere impediti sunt. 88.) Fodinae *Schneebergenses*, ao. 1471. detectae, 89.) Dresdae magna emolumenta praebuerunt, earum, vt constat, redditibus maxima ex parte in huius vrbis amplificationem impensis. Eo tempore *Fridericus bellicosus* regnum tenuit; quo mortuo *Albertus*, dux Saxoniae, ei successit, qui Dresdam cum filio suo regnavit, cuius imperio Aedes St. Crucis, vt iam attulimus, sacro cultui denuo dicata est. *Albertus*, munere suo bene functus, decessit. Successor eius *Georgius Barbatu*s nouam arcem exstruxit, cum ea, cuius mentio iam supra facta est, 1530. hostili malignitate consumpta, et flammis prorsus fere destructa esset. 90.) Haec arx ao. 1534. a *Rothenfelsero*, Weinarto teste, fundata est. 91.) Idem princeps aedificulam Ioannis instituit, et ao. 1502. pontis praefecturae ius vitae necisque largiebatur. Eo regnante 1527. *Neostadium* Curiam accepit. Dresdam adeo in sui memoriam, opere ao. 1520. felicem in modum incho-

88.) Beschreibung und Ursprung von Alt- und Neudresden.

89.) Leonhardi Erdbeschreib. der churfürstl. und herzogl. sächsischen Länder.

item, Kochlers geograph. Kenntniß von Kursachs.

90.) Chron. Naumburgense, Tom. II.

91.) Topograph. Dresd.

inchoato, munire coepit, Suburbii partem, olim ante portam, a b. Virgine nomen ducentem, (Frauenthor,) cum vrbe coniunxit, et ao. 1527. molam aulicam exstrui curavit. Quibus beneficiis, cum Dresdam ornasset, ao. 1539. diem obiit supremum.

Hunc *Henricus Pius* secutus est, qui sanioem Deum colendi rationem, et cum ea pacem, et veritatis victoriam, restauravit 92.) Domiciliū quoque Ephoro Dioeceseos Dresdenis instituit; quo defuncto 1541. Mauritius Elector successit, filius Henrici Pii, gente Albertina, cuius iussu, munimentis, quae Georgius comparauerat, destructis, aggerem quoque, ab infausito Electore *Ioanne Friderico* contra se erectum, solo aequavit; cuius loco, cum superior proelio discessisset, arcum triumphalem, cum hacce inscriptione, erexit:

„IOANNE FRIDERICO OPPVGNANTE CAESAREM *)
 „CVM BIS DECEM ATQVE TRES VEXASSET LIPSIAM
 „DIES, MALVMQVE CVDERET DRESENIO,
 „BIS QVINTA APRILIS, ATQVE LVCE TERTIA,
 „QVI LIGNEVS, LOCI HIC ERAT, TVNC ABRVMPITVR
 „PONS, VNDE NON NIHIL RVINAE, ET SAXEVM
 „FECIT. SED HOSTE POST AD MOLIBERGIVM
 „CAPTO, DIE VNDECIMA, ET DELECTO EXERCITV,
 „PARTAQVE PACE, DVX ET HEROS IMCLYTVS,
 „MAVRITIVS ELECTOR, VIRTVTIS GRATIA,
 „CREATVS, ET DONATVS ENSE SAXONVM,
 „SIC TVRRE, TRIVMPHALIBVS SIC ARCVBVS
 „ORNARI, HONOR DEO, SIC INSTAVRARIER,
 „SIC MONVMENTVM AETERNVM FIERI IVSSIT.

Portam, quae vocabatur *Frauenthor*, aboleuit; arcem electoralem emendavit; suburbia, vicis duobus vicinis, Poppitz et Fischersdorf, adiectis, amplificavit, et Magistratum *Dresdensem* et *Neostadiensem* in vnum

92.) De illo v. sup. §. de religione. *) Imperat. Carol. V.

vnum collegium coniunxit. (1550) Nouum denique Armamentarium aedificaturum, ao. 1553. mors impediuit. Successor eius fuit frater

Augustus I. Elector, qui multum ad Ecclesiae emendationem contulit. Vxor eius *Anna* templum, vt supra dictum est, in sui nominis memoriam exstruxit. Idem ao. 1581 pharmacopolium electorale instituit. 93.) Ipse Elector ao. 1565 — 67 Cancellariam instituit, cui Collegia cum tabulario publico, vulgo *Archiv*, imposuit. Armamentarium quoque, a *Mauritio* coeptum, die 13. Febr. ao. 1559. aut, vt alii malunt, die 6. Martii, eo quidem loco, quo nunc officina ad fundendas campanas, denuo instaurauit, et 1568 absoluit. 94.) Sic etiam die 24. Febr. ao. 1580. Collegium sacris curandis, vulgo Consistorium, hic constituit, cum antea Misniae fuerit. Ao. 1568 aedificium, custodiendo rei venatoriae apparatus destinatum, Neostadii exstruxit, cum illud, quod antea adfuit, ei displiceret. Haud minus diligenter subditorum angustiis succurrit; peste enim ao. 1586. oriente, nosocomium, ad contagionem extinguendam, et ad infirmos rite sanandos, constituit. Litteras insigni amore persecutus est, ita, vt primam hic Dresdae Bibliothecam institueret. Decessit Ao. 1586. Ei successit *Christianus I.*, qui stabulum ingenti sumtu et magnificentia comparauit. In porta iuxta Arcem, in huius principis memoriam, haecce verba leguntur:

„AVGVSTO ELECTORE PIE DEFVNCTO CHRISTIA-
 „NVS SAX. DVX, DIGNITATIS HAERES, VIRTVTIS
 „IMITATOR, DOMVM HANC, EQVORVM STATIONI
 „EXSTRVENDAM, AREAMQVE ADIVNCTAM, MILI-
 „TARIVM EXERCITATIONVM, CAVSA, COMPLA-
 „NANDAM, EXORNANDAMQVE CVRAVIT. AETAS
 „PRAESENS ET FVTVRA DOMINO FELICITATEM
 „PACEM-

93.) vid. Testimonium, quod Weck, pag. 69. l. c. referauit.

94.) conf. Ridigers Historie von Sachsen, 1724. in biograph. Augusti I.

„PACEMQVE, FIRMITATEM GENERIS, FORTVNAE
 „VITAEQVE PRECETVR. NEC TAM PRAESIDIIS HV-
 „MANIS, QVAM DIVINO AVXILIO SVAM SVORVM-
 „QVE SALVTEM NITI ARBITRETVR.

Idem princeps aedificium, quod vulgo *Klepperstall* dicitur, proprio sumtu exstrui iussit. Turrim in ara emendavit, sed invida mors optimum principem, magna adhuc et praeclara opera molientem, rebus humanis eripuit. Frater quoque, vir insigni pietate praeditus, in flore aetatis, annos nimirum viginti octo natus, decessit. Denique hoc solum mihi de his duobus principibus attingere liceat, eos etiam portam arcis, in platea eiusdem nominis, exstruxisse.

Ioannes Georgius I, cuius imperium calamitatibus pariter ac prosperitate innotuit, ei successit. Eo enim regnante triplex Iubilaeum celebratum. Templum Annae noua turri ornauit. Ao. 1616 Theatrum Anatomicum instituit. 1653. alueum aquarium, in foro antiquo (Altenmarkt) et antea iam ao. 1648. alium in foro nouo (Neumarkt,) exstrui curauit. *Matthias*, Rex. Rom. Burggrauis Dohnae pontorium ex pacto, quo conuenerant, accipientibus, quod rixa, cum Imperatore habita, amiserant, Epistola Pragae scripta, quarto die Nov. 1617. a *Georgio*, intercessione Annibalis, Burggrauio Dohnae reddere studuit. Sed Elector ius, vt probaretur, decreto *Dresdae* d. 15. Ian. 1618 dato, merito postulans, nullum responsum accepit, quo quidem silentio tota lis annihilata. §3.) Ao. denique 1656. diem obiit supremum.

Ioannes Georgius II. successor eius, magna et praeclara opera confecit. Sic v. c. turrim arcis emendavit, et signum, cui haec verba נסי ויהיה, *) inserta sunt, vertici imposuit, moenianum cancellis s. clathris circumdatum fieri in ea iussit, vt minori periculo turris circumiri possit, et

*) Iehoua vexillum meum.

et pontem cruce ornauit. Primum inde odeum (Opernhaus) ao. 1664. et paulo post ao. 1668. sphaeristerium (Ballhaus) extruxit. Adiacentes Dresdae regiones idem exornauit, ao. enim 1678. magnum, quem vocant, hortum institui curauit. Palatium ao. 1679. in eo extruxit, quod maximis Dresdae ornamentis haud temere annumeratur. *Ostram*, antea pagum, ciuitatem reddidit. Ao. 1680. mortuus est.

Successor eius, eiusdem nominis III, principem, rei militaris peritum, se praebuit. Etenim magna ei et praeclara aedificia mil. debentur. Sic v. c. portam ad eruptiones, occupata vrbe, faciendas extruxit. Arcum triumphalem in ponte, quem Mauritiu, vt iam commemoratum est, aedificauerat, demolitus, eius loco munimentum, quod dicimus *Blockhaus*, erigi iussit. *Viennam* quoque a Turcis liberandam auxilium sustentauit, vrbeque obsidione liberauit. Chartam signatam (Stempelpapier) primo instituit. Mortuus est ao. 1691. Cui

Ioannes Georgius IV. successit. Cuius imperium nimis breue fuit. Portam, *viridem* vulgo dictam, ad turrin arcis aedificauit. Eo defuncto, *Augustus II.* Rex Poloniae creatus, sedem eius occupauit, qui 1700. emendatum calendarium instituit. Collegium vectigalium (Acciscollegium) instituit et Academiam pictorum condidit. Hortum magnum, de quo iam dictum est, ao. 1715. ~~hanc~~ piscina exornauit, et censum in capita primum fieri iussit. Eo quoque regnante nosodochium ao. 1702. proprium facellum accepit. Pontem mirificum in modum emendauit, quod opus anno 1727. coeptum, praeposito architecto Matthia Daniele Pöpelmann. Ao. 1729. pontem versatilem ligneum destruxit, et sequenti anno pilas portae Albis demoliri iussit, quarum loco spiras (*dorische runde Säulen*) collocauit, quae autem successu temporis rursus abolitae sunt. Meatus vtrinque in usum peditem paulo altiores fecit. Pluteum (Geländer) antea faxeum, in ferreum commutauit, antas sedilibus, ad requiescendum, ornauit. Effigiem quoque suam ponti imponi voluit, sed eius ruinam timens, crucem, a Georgio II. erectam, quae antea ab arce venientibus manu dextra, pila tertia fuerat, quinta sinistrae manus collocauit,

locavit, et hancce inscriptionem tabulae, marmore confectae, incidi iussit:

IOHAN. GEORG. II.
ELECTOR
AERE FVDIT.
FRIDRIC. AVGVST.
REX
ORNAVIT ET
LAPIDE
SVBSTRVXIT.

E regione duae statuae exstant, quarum altera Poloniam, altera Saxoniam, significat. Idem laternas, ad plateas vrbis collustrandas, instituit. 95.) Artificiofissimum eius opus pomœrium est, quod eo tempore cum Germaniae vicarius esset, vt cel. *Weinart* memoriae prodidit, vestibuli arcis suae loco aedificauit, vbi Bibliothecam electoralem publico vsui ao. 1718. exposuit. Armamentarium ao. 1705. emendauit, Academiam quoque iuuenum nobilium anno 1725. exstructam, et iam a Georgio IV. 1694. ad scholam equefrem constitutam, condidit et 1730. inaugurauit. Paulo ante eius mortem 1732. magnum aedificium, ad domicilia militum iuncta, (vulgo *Kasernen*) exstruebatur. Sed ne nimis prolixi simus, plura adhuc et magna opera huius principis descriptioni doctiorum relinquamus. Decessit *Augustus II.* Varsoviae ao. 1733.

Successit ei filius Augustus III. sub cuius regimine Fridericostadium ius nundinarum hebdomadalium accepit. Neostadio, et Dresdae ipsi, nouas quoque curias dedit. Illius fundamenta prima ao. 1750. iacta, Dresdae vero ao. 1741. In Curia Neostadiensi sub tecto haecce verba incisa sunt:

F 2

AVSPI

95.) Plura de ponte Dresdensi legere cupiens, vid. *Weinart*. Dafsdorf, Hafsche, praecipue vero adeat *Schramms großes Brückenbuch*, Leipzig. 1735.

AVSPICIIS FRIDERICI AVGVSTI REGIS POL. ELECT. SAX.
P. P. OPTIMI PII FEL. HANC CVRIAM EXSTRVXIT
SENATVS DRESDENSIS.

Eum Templi catholici conditorem fuisse, iam commemorauimus. Armamentarium fere destruxit, vt elegantiozem in modum restitueretur. Sic quoque *Palatium Hollandiense* exornauit, quod iam 1715. et 16. sub imperio Aug. II. exstructum, et ab hoc Principe emtum erat, id quod eius inscriptio testatur. Etenim sub lorica haec verba leguntur:

MVSEVM VSVI PVBLICO PATENS

et paulo inferius vtrinque

CONDIDERVNT
AVGVSTI PRIMI
TRES

FRIDERICVS AVGVSTVS
INSTAVRAVIT
AVXIT ORNAVIT.

Forum Neostadiense, pulcherrima Patris Augusti II. statua exornauit. Decessit magnus hic princeps et beneficus ao. 1763. 96.) Successor eius fuit, *Fridericus Christianus*, omnibus, quae principem decent, virtutibus praeditus, sed eodem iam anno, quo pater, mortuus est.

Xauerius eum secutus est, electoratum Serenissimi Electoris *Friderici Augusti*, tunc tredecim annos nati, vsque ad annum 1768. administrans, sub cuius regno ao. 1764. palatium horti Antoniani exstructum. Ipse quoque ao. 1764, die XVI. Iulii Aedis St. Crucis fundamenta iecit. Cum vero ad ea potius, quae Saxoniae salutem omnino promouerent, quam singularum vrbium respiceret, vrbs Dresda, excepta pomoerii emendatione, ornamenta praecipua non accepit. Ei

Fridericus Augustus optimus Princeps successit, cuius auspiciis non solum Dresda, verum etiam omnis Saxonia nunc viget et floret. Sed haud

96.) de statu vrbis Dresdae auspiciis Augusti III. optime disseruit Schramms Reifelexicon, Leipzig, 1744. 8vo.

haud dubie operae pretium erit, praeclara *Eius* facta sigillatim, et in proprie huic rei destinato paragrapho considerare, quare antea nonnulla praemittamus

6.) *De variis, quas haec vrbs, successu temporis, passa est calamitatibus et aerumnis, quae incrementum eius quodammodo inhibuerunt.*

Vrbem Dresdam variis quoque conflictasse calamitatibus, inter omnes constat, et forsan nunquam ad tantam magnitudinem venisset, tantoque splendore fulsisset, nisi Principibus optimis, et qui iis digni fuerunt Magistratibus, gauisa esset. Ex magno aerumnarum numero eas tantum delibare sufficere, quae maxime eius incrementum inhibuerunt.

Marchione Wilhelmo Lusco regnante, Dresda ao. 1357. cruenta contagione fere consumta, qua et ipse princeps decessit. Depopulationibus *Hussitarum* aut *Taboritarum* et *Eltistarum* Neostadium prorsus destructum; coenobium, a *Cokle* conditum 1429. incendio deletum est. Ao. 1430. idem conati, tormentis in pontem positus, in fugam coniecti sunt. In bello, quod Mauritius et Ioannes Fridericus infelix, 1557. inuicem gesserunt, ruina magnae huius vrbs parti imminuit, nam cum Fridericus in ripa Neostadiensi vallum exstruxisset, interitus domorum e regione stantium sine dubio ingruere videbatur. Ao. 1491. vrbs Altdresden, incendio inopinato orto, prorsus consumta; die sequente, ante portam in suburbio Pirnensi, iterum igne grassante, Dux Georgius, regionis Misnensis praefectus, absenti patri Alberto has calamitates per litteras indicauit, 97.) quo detrimento audito, pater libentissime succurrit, quod ex eius responso patet. Eodem anno, annonae caritas orta. Sic quoque 1501. morbus armentarius irrupit, ao. 1507. pestis rursus grassabatur. Ao. 1512. turris arcis tempestate violata, item ao. se-

F 3

quente.

97.) Weeks Chron. pag. 520.

quente. Ao. 1530 in arce ipsa magnum et vehemens incendium faeuit. Die XX. Iunii eiusdem anni, in platea, quae vulgo *Lochgasse* dicitur, domus quadraginta tres consumtae. Ao. 1540, imperante Henrico pio, vt et sub Augusto primo, pestis Dresdam depopulata est. Regnante *Ioanne Georgio I.* annonae caritas, et contagiones nostras regiones vicissim perturbarunt. Huc bellum tricenarium accessit, quo vrbs nostra incredibili modo vexata est. Historia enim probat, hostes palantes non solum remotas a Dresda Saxoniae regiones depopulatos esse, sed adeo vrbi ipsi se appropinquasse. Colubrinae vero in turri St. Crucis magno hosti detrimento fuerunt. Sub imperio Ioannis Georgii III Neostadium rursus destructum est, in cuius pernicipi memoriam quotannis sermo vsque ad hanc diem, pro rostris sacris, haberi solet. Inundationibus quoque Dresda multum passa est, e. g. 1276. 1318. 1332. de quibus iam supra. Porro annis 1445. 1498. 1501. 1538. 1566. Ao. 1573. Albis adeo in forum Neostadii, et hodiernae Dresdae antiquae, quam vocant, se effudit, et ao. 1599. in pagum, *Fischersdorf* vocatum, incredibili velocitate penetrauit. Sic multis vicibus Dresda, seu pestis, seu vndarum irruptionibus, seu incendiis etc. perturbata est. Sufficiet candido lectori, adhuc inundationem anni 1655. afferre, quae tanta fuit, vt pontem fere superaret. Nouissima anni 1784. neminem fugit, quare eam describere superfluum arbitramur.

7.) *De flore, quo nunc, FRIDERICI AVGVSTI P. P. optimi auspiciis, gaudet.*

Beneuolentiae Eius restauratio palatii hollandiani debetur; pomorium, beneficia eius cura magna ex parte restructum et exornatum, quod si finitum erit opus, immortalem Ei apud posteros memoriam parabit pariter atque gloriam. Sic quoque *Aedes St. Crucis*, cuius fundamenta a Principe Xaverio, Saxoniam administrante, iacta erant, Eo regnante confecta. Porro turris Aedis Catholicae, turris Arcis, et cum his fere omnia magna vrbs aedificia, perticas, detrimenta procellarum et tonitruum pellen-

pellentes, acceperunt. Item in platea *Pirnensi*, 1774. praefecto Architecturae *Krubsazio*, magnum hoc aedificium, clementissimi Electoris voluntate ac iussu, exstructum est, in quo ordinum Saxoniae conuentus haberi solent. Supra portam haec inscriptio legitur:

CVRIA. ORDD. SAX. FRID. AVG. EL. P. P. FAC. CVRAVIT
MDCCLXXV.

Vrbis munimenta valde auxit, et emendauit, id quod et adhuc continuatur. Ante portas Neostadienses ambulatio, arboribus vtrinque septa, facta, porta Pirnensis renouata, et nouis statuis ornata. Omnis fere Dresda, belli septuennis oppugnatione, per tormenta in cinerem redacta atque destructa, Eo ~~viro~~ regnante e cinere quasi noua surrexit. Sed quomodo quaeſo tiro omnia enarrare posset, quae Elector Serenissimus idem ac Clementissimus, Pater Patriae optimus, ex eo, quo regnauit, tempore in commodum almæ patriae, ac vrbis Dresdae, fecit? Breuibus, me his rebus describendis imparem esse, sentio, ideoque haec omnia viris doctioribus, et artis scribendi peritioribus, relinquere liceat, quae imperfecte a me dici nolim. Nihil superest, quam gratiarum actio, summo Numini persoluenda, cuius benigna voluntate talis nobis Princeps et Elector contigit, et pia vota pro Eius vita, ac salutis incolumitate, non verbis exprimenda, sed sentiendo ad Deum fundenda!



Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

CYRIA ORBIS SAE PHE AVE EL P P FAC CVRSLIT
MCCCLXXXV

Main body of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Large, faint handwritten text or signature in the lower center of the page.



ULB Halle
004 917 057


3



Ya 2056 O¹

m. 6





DE ORIGINE
VRBIS DRESDAE

EIVSQVE,
SVCESSV TEMPORIS, INCREMENTO.

DISSERTATIVNCVLA

SPECIMINIS LOCO
DIE XIV. MENS. APRILIS MDCCXCIV

PROPOSITA
A
CHRISTOPHORO CHRISTIANO
HOHLFELDT.



DRESDAE,
ETERIS HARPETERIANIS.

